MUCILAGO GOMMI TRAGACANTHAE.

Rec. Gummi tragacanthae albae *drachma una,*
Aquae fontanae frigidae *uncia una.*

Poſt duodecim horarum quietem trituratione miſceantur, & mucilago per pannum preſſa detur.

MUCILAGO SEMINUM CYDONIOR.

Rec. Seminum cydoniorum contuſorum *drachma una,*
Aquae florum roſarum *uncia una.*

Digerantur leniſſimo calore, donec aqua mucilagine extracta ſpiſſeſcat; tum per linteum trajecta detur.

Virtus. Tam haec, quam duae praedicte mucilagines refrigerant, inviſcant, demulcent, involvunt, obliniunt.

MUCILAGO MERCURIALIS.

Vid. *Mercurius gummoſus.*

Vires plenas mercurii exſerit, plerumque ſine ſalivatione.

Nota. Drachma una hujus mercurii cum aquae unciis octo vel decem in mixturam redacta, *datur* cochleatim.

OLEA INFUSA ET COCTA.

Nota. Cum olea haecce ob adhibitum ignis gradum citius adhuc, quam olea ſibi relicta, ranceſcant, proviſoria eorundem paratio non modo ſuperflua, ſed ſaepius

ſaepius etiam nociva eſſe videtur, eo quidem magis, pro rationalis medicus defectum eorum facilius ſupplere valet, v. g. ſcopo clyſmatico ſaturatum florum, herbarumve deſideratarum infuſum aut decoctum, vel oleum plantae deſtillatum, cum oleo lini vel olivarum miſcendo: aut inungendi ſcopo, oleum eſſentiale plantae indicatae cum porci axungia aut oleo quodam preſſo, maritando.

Ubi tamen frequentior eorum apud aniculas uſus eſt, ita ut ranceſcentia oleorum adeo timenda non ſit; ibi eadem, proportionata nihilominus ad uſum quantitate, juxta ſequentem normam parari poterunt. v. g.

OLEUM COCTUM ABSYNTHII.

Rec. Herbae abſynthii recentis conquaſſatae *unciae ſex,*

immittantur lagenae lapideae, eisque ſuperfundantur

Olei olivarum recentis non rancidi *unc. duodec.*

Lagena tum ſubere & veſica clauſa repopatur per duodecim horas in aquam ebullientem, vel cineres calidos ad olei cum herba digeſtionem; expreſſione colatum, in vaſe — *non uti mala conſuetudine indictum fuit, ſtanneo* — ſed lapideo adſervetur.

Eodem modo paranda ſunt

OLEUM anethi,
chamomillae florum,
hyperici florum,
verbaſci florum, aut

quaecunque alia per frequentem uſum introducta ſunt olea, *quorum omnium virtus*

ex olei & ingredientis ſimplicis viribus dimetienda eſt.

OLEA MIXTA.

OLEUM CAMPHORATUM,

l. BEZOARDICUM.

Rec. Olei nucum been *drachm. una,*
Camphorae *grana quindecim.*

Miſceantur, ut fiat camphorae ſolutio.

Vis reſolvens, diaphoretica, alexipharmaca.

Datur a guttis tribus ad ſex.

OLEUM PAREGORICUM.

Rec. Olei preſſi ſeminis hyoſciami *unc. dimid.*
petrae albi *drach. duae,*
deſtillati baccarum juniperi,
ſuccini, *ſing. guttae dec.*

Mixta dentur.

Vis. Reſolvit, diſcutit, dolores ſedat, *externo uſu.*

OLEUM OVORUM PRESSUM.

Rec. Ovorum recentium *quantum videt.*

Coquantur ad duritiem, eximantur vitelli, qui contriti in ſartagine leniter aſſentur, ſub continuo motu donec ruffeſcant, & pinguedinis quasdam guttulas emittant; quo facto adhuc ferventes forti ſacco incluſi exprimantur.

Virtutem exhibet emollientem, demulcentem, obvolventem, & lenientem, *ſi recens ſit*, vetuſtum enim acrimonia rancida dolores potius auget, quam lenit.

OLEUM

OLEUM MYRRHAE per DELIQUIUM.

Vid. *Liquamen myrrhae.*

OLEUM TARTARI per DELIQUIUM.

Vid. *Liquamen ſalis alcali vegetabilis.*

PILULAE ALTERANTES CICUTAE.

Rec. Extracti cicutae *drachmae duae,*
Mercurii dulcis rite parati *grana quindec.*
Sulphuris aurati antimonii *drachmae dimidium,*
Balſami copaibae *quantum ſatis,*
ut fiat maſſa pilularum.

Virtute depurante reſolvente & antivenerea gaudent.

Dantur a granis quinque ad decem.

PILULAE ANTHELMINTICAE.

Rec. Gummi aſae foetidae
Extracti nucum juglandum *ſing. ſcrupuli quatuor,*
aloës gummoſi
Mercurii dulcis rite parati *ſing. ſcupul. unus.*

Fiat cum Eſſentiae tanaceti *ſ. q.* maſſa pilularum.

Virtutem poſſident anthelminticam, antiſpasmodicam, ſolventem, alvum leniter ſtimulantem.

Dantur grana ſex ad viginti.